

## Appendix. — Europa Nro. 37.

## Regnum Mortuorum.

Litterae Familiare inter Vivos et Mortuos.

Ad Villiamum *Seeward* in Elisium.

De mundo 22. Aprilis 1808.

Prodivit Londini Liber famosus, Authore Villiamo *Spence*, qui démonstrare vult, Angliae nullam ex commercio esse utilitatem, sed felicitatem suam in cultura domestica terrae quaerendam. — Quis, oro, scopus Authoris? An vulneri balsamum affundere vult? quod oclusio Continentis Angliae commercio infligit. Sententia haec Spenceana posset a fortiori Galliae applicari.

Quid de hoc libello cogitandum, cum alter A. 1805 recte contrarium declamaverit. Tunc demonstratum erat; Angliam solo monopolio commercii aliquo tempore semet adhuc sustinere posse; eamque cadere debere, utprimum populi ejus tributarii hoc in puncto esse desierint. Ego conjugam opinionem meam cum hoc libello, qui A. 1805 prodivit, et assumam statum Angliae de Anno 1804.

Status commercii Anglicani Anno 1804.

## Importatio.

Ex Colonia in India orientali	13,420,000	Librae.
Ex Hibernia	—	2,810,000 —
Piscatio, et ejus valor	—	490,000 —
Ex America	—	4,500,000 —
Nr. 1. Ex Continente Europae	7,979,000	—
	Summa	29,199,000 —

## Exportatio.

Manufactorum in Colonias Anglorum	—	9,322,000
In Americam Septentrionalem	—	6,000,000
Nr. 2. Manufactorum ad Continentem Europae	—	11,113,000
Nr. 3. Ex Indiis ad Continentem Europae	—	31,951,000
	Summa exportationis	58,386,000 L.
	Summa Importationis	29,199,000
	Summa utraque	— 87,585,000.

Ob interdictum, et ita dicendo, excommunicationem commercii anglicani ex Continente Europae debet Anglia merces Nris. 1. 2 et 3. denotatas ex commercio suo expungere, quia nec importari, nec exportari possunt. Hi tres articuli faciunt Summam 51,043,000 Libras anglicanas, adeoque perdit Anglia propemodum duas tertias commercii sui. Puto, non opus esse adnotare, quod dehinc Ministri hos tres articulos ex Calculo, quem quotannis Nationi exhibent, exmissuri sint, nisi allegetur, novam aulam in *Rio Janiero* enorme hocce deficit in se assumpturam; Notum vero est, in America Portugallica nonnisi 800000 Europaeorum esse, qui certo Anglis tantum non inferent. Nec Status Americae hic ad calculum sumere volumus, quia hic adhuc decusum non est, an Amici, vel Inimici Anglorum futuri sint.

Ducta igitur bilance, eruemus, quid Continens Europae quotannis Angliae solverit.

Nro. 2. Exportatio	— —	11,113,000 L.
Nro. 3. Detto	— — —	31,951,000 —
	Summa Export.	43,064,000
Nro. 1. Importatio deducta		7,979,000
Ergo bilanx pro Anglia	—	35,085,000 L.

Ex hoc patet, quod Anno 1804 Continens Europae enormem summam 35 millionum Librarum Anglicanarum, seu 385 millionum Rh. Flor. Angliae solverit. Cum tota Austria, vetus Borussia, et Russia simul non habeant 385 millionum flor. redditus, stupendum profecto est, quomodo Anglia Continentem in hac enormi, spontanea tamen, contributione tenere potuerit.

Notandum praeterea; Importationem non minus, quam exportationem per sistema *occlusionis* magnam pati falcidiam; nam Quaestores Anglici non advehent magnis impensis ex utraque India merces, quas vendere non possunt, quia magna vectigalia solvere debent; ergo etiam in cassa vectigalium enascetur deficit; ergo perdit Anglia per hoc sistema prope duas tertias totius commercii, et de 87 millionibus decidit ad 36 milliones; Importatione igitur nonnisi ad dimidietatem reducta, manent 18 milliones, qui vix unam quartam totius commercii efficiunt.

Non secus etiam navigatio quaestuararia decidet, aut saltem inoperosa manebit. Haec Anno 1804 occupavit 19772 naves diversae qualitatis, et 148,613 Classarios. Gubernium quidem per id hoc beneficii habebit, quod classarios vi colligere non debeat. Notum praeterea toti mundo est,

Interusura Debitorum Nationalium constituere summam	annuam	— — — — —	28 000,000 —
Sumptus publici belli tempore			49,000,000 —
		Summa	77000,000 —

*Perceptio vero.*

Vectigalia	— — —	18,000,000 —
Accisae	— — —	10,000,000 —
Signatura (stempel)	—	3,000,000 —
Postae	— — —	1,000,000 —
Taxa Bellica	— —	20,000,000 —
		Summa 52,000,000 —
Ex Lotteria, Dominiis etc.		8,000,000 —
Totalis Summa Percepti		60,000,000 —
Huc accedit mutuum	—	17,000,000 —
		77,000,000 —

Ad reparandum *Deficit* medium est contractio mutui; at si Anglia partem commercii amittat, amittet etiam proventus. Quomodo ergo prospiciet calculus hujus anni, ubi nihil levebitur, telonia nihil inferre possunt. Possunt quidem Ministri Interusura ad dimidietatem deprimere, sed tunc etiam illi, qui hac ratione in facultatibus perderent, aequè nonnisi dimidietatem solvere possent; Haec itaque Reductio foret primus gressus ad *Banquerot*. Dicitur quidem Angliam sibi ipsi Debitorem esse; hoc est idem, ac si quis diceret: Hic, vel ille succendit propriam domum, ut semet calefacere possit. Fallimentum Angliae traheret post se etiam ruinam Banconis Londinensis, et omnium filiarum, sicque oriretur chaos horrendum; et quomodo prospiceret novus Albionis Phönix, qui ex his cineribus renasceretur?

*Eu! fuge crudeles terras, fuge littus avarum!*

D. William Spence asserit, felicitatem Angliae non in commercio, sed in territorio domestico fundari. Sed an ignorat, juxta authenticum calculum statisticum D. Young unam duntaxat tertiam populationis anglicae ex agricultura vivere, reliquas vero duas ex Commercio; quomodo ergo adeo perfricta fronte in facie totius mundi audet asserere aliquis, Angliam nullum reale commodum ex commercio habere? Forte instigante Gubernio propugnabit idem author, duas illas tertias, quae ex commercio vivunt, in statu felici constitui, quia nihil ad agendum habent, sed ad formam fumigare possunt, cum Europa commercio eorum

praeclusa sit. — Haec sunt, charè Villiam Seevard! observationes, quas tibi in regnum Mortuorum misit.

*Biographia.*

*Seevard Villiam* natus Londini in Januario 1747. Pater ejus erat bonus Agricola, et bene habens, qui ad educationem filii, et peregrinationes multa impendit, eidemque notabilem substantiam reliquit, ex qua commode vivere, et unice pro beneplacito, et solatio suo studere possit, ideo ex uno factus est Author. Incepit Anno 1789, ubi collectionem diversarum Biographicarum Anecdotarum sub titulo *Drossiana Ephemeridibus European Magazine* inseri jussit, quod opus usque finem vitae continuavit. Anno 1734 edidit Delectum earundem sub titulo: *Anecdotes of some distinguished Persons chiefly of the praesent and two praecedent Centuries*; cui successit Anno 1797 supplementum. Paulo ante mortem edidit: *Biographiana by the combilev of distinguished Persons, 2. Vol. 1799.* Etiam vulgavit in *Evening Post* Articulum Reminiscentia. Lectura amplior, quae ex scriptis ejus cognosci potuit, fecit eum ubique gratum, et etiam in sensu stricto qua homo multas egregias prodidit qualitates. Cassa ejus patebat cuique, ac cumprimis erat liberalis erga Artistas. Erat is Commembrum Regiae societatis scientiarum, et societatis scrutatorum antiquitatum Londini. Obiit 24. Aprilis 1799.

*Diarium Politicum.*

In Septemtrione omnia sunt in antiquo pede, ergo nihil novi. In fretis Balticis excubant modo anglicae, modo svecicae naves, quae communicationem inter Holsatiam, Haffniam, Jutiam, et Fioniam admodum ambiguam reddunt. Exercitus Svecicus adglomeratur ad fines Norvegiae; ergo ibi erit forte Actus primus; et Rex Sveciae videtur in Norvegia sumere velle vindictam pro Finnia, per Russos occupata.

Monitor Parisiensis de 18. Aprilis continet litteras Senatoris *Neufchateau* a D. Parmentier, ex quibus apparet: *Theam, Sennam, et Aloe* in meridionali Gallia optimo cum successu procreari; prout etiam *solanum esculentum* (quod a solanis tuberosis diversum esse vult) ideo ejus culturam commendat, vultque, ut productum hoc dehinc *Parmentiarum* nominetur.

*Burdegalae* Visitavit Napoleon 12. Aprilis cum Imperatrice omnia notabilia publica Instituta, haec inter Balnea, Magazina, et Börse, et ubique eum universalis exultantis populi excepit acclamatio. In Urbe Brivatensi reperta est mortua faemina, ex tribus cultro eidem illatis vulueribus. Suspicio cadebat in Amatorem ejus, qui miles est, qui ad cadaver adductus, hoc se excusavit: *Se non recordari, quod eam occidisset.*